

positas eodem tempore pergeret, quod fieri nequaquam potest, sed neq; cogitatione apprehendi. Secundo, quia si oēs cæli præter illum motū ab oriente in occidentem. veherentur etiā ab occidente in orientem. nullus esset motus perfectus, & absolutus ab ortu in occasum. Nam antequam totum aggregatum cælorū suum circuitum expleat ab oriente in occidentem, id est, ad idem reuertatur punctum, interim singuli cæli in contrariā iam partiē recessere. Ex qua re multa incommoda consequentur. Primo non daretur motus proprie dictus Diurnus: Deinde vix, aut difficilime assignari posset Zodiacus immobilis, penes quē mensuratur quantitates motuū inferiorum cælorum ab occidente in orientem, ut paulo post explicabitur. Nam secundum hanc sententiam Zodiacus quoq; octauæ sphaere, quem supremū esse putant, mutat sua puncta ad motum ab occidere respectu Aequinoctialis circuli (qui ab utroq; mundi polo equaliter distat) ita ut principium Arietis octauæ sphaere non semper maneat in sectione Zodiaci cum æquatore, idemq; de reliquis punctis eius de Zodiaci dicendum est, quod absurdum est apud Astronomos: Ut enim certi quid habere possimus de motibus cælorū inferiorū, necesse est concipere Zodiacum, qui tantū moueatur ab ortu in occasum, & sub quo omnes planetae, & stellæ fixæ ab occasu in ortum incedant proprijs motibus. Tertio, Si totum aggregatum cælorum ab oriente in occidentem, Dein de singuli orbis peculiaribus motibus ab occidente in orientem ferretur, ita ut nullus orbis alterum suo motu trahat (ob hanc enim causam precipuam nolunt admittere supra firmamentū aliud cælum, quod tanq; primum mobile suo motu inferiores orbis ab ortu in occasum secum rapiat) non posset vnus idemq; orbis plures motus habere quam duos; Vnū vlt, quatenus est pars totius aggregati, alterū vero sibi propriū, & peculiare. Hoc aut falsū est; Nā in cælestibus corporibus plures motus deprehendim. Cælu. n. Lunæ totale (relictis orbibus partialibus) mouetur ab ortu in occasū, & ab occasu in ortū ut experientia docet, & ipsi fatentur quoq;. Rursus præter duos istos motus mouet alio diuerso motu ab oriente in occidentem super polos Zodiaci, ut ex Theorica Lunæ constat, quem quidem motū nulla ratione tueri possum, nisi concedat motum raptus, ut mox declarabitur; Hoc enim modo mouebitur cælum Lunæ ab oriente in occidentem motu diurno ad motum primi mobilis: Ab occidente vero in orientem ad motū nonæ sphaere; Ab oriente denique in occidentem super polos Zodiaci proprio motu. Quarto, Si propterea